



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum**

**Reutlinger, Ignaz**

**Augustæ Vindelicorum, 1716**

**VD18 10508716**

Casus primus Occisionis Conjugis sine adulterio, ubi simul etiam exponitur  
impedimentum ex cæde conjugis cum adulterio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40059**



§. V.

## CRIMEN.

## CASUS PRIMUS

*Occisionis Conjugis sine adulterio, ubi simul etiam exponitur impedimentum ex cade conjugis cum adulterio.*

Theclam nobilem virginem deperijt Valericus, movit-  
 que omnem lapidem, ut eam consequeretur uxorem, nec erat  
 ipsa invita habere maritum juvenem omnibus naturæ dotibus  
 instructum, amænæ simul, & generosæ indolis, sed votum  
 utriusque evertit cupiditas Parentis, præopta tis habere gene-  
 rum auro, & opibus, quàm meritis abundantem. Filiam  
 suam conjunxit Bassiano viro diviti, sed deformi, atque moroso.  
 Non intermisit verò etiam tunc dilectam suam sæpius invisere  
 Valericus, plures horas cum ea fermocinando absumens, pa-  
 lam tamen, & plerunque non extra oculos domesticorum,  
 quos, quia erat honestatis observantissimus, non fugiebat ha-  
 bere arbitros eorum, quæ gerebantur. Sed hoc iptum non  
 tatis



satis erat, ut vir Zelotypus non iudicaret, amorem sibi debitum in alium averti, nec eximebant atræ menti has nubes obtestatio conjugis, nec testimonia domesticorum de eius fide, atque integritate asseverantium. Hos arguebat lenocinij, lupam, & thalami contaminati proditricem illam appellabat, nec abstinere à verberibus, & dira omnia minabatur uxori, per Superos, inferosque jurans, ut primum se ferret occasio, pro-cum hunc toro suo insidiantem dolori suo victimam casurum. Thecla cum loqui jam amplius non auderet Walerico, missa eidem epistolâ significat, quam durè à Viro habeatur ex suspicio-ne illiciti cum ipso commercij, monétque, ut sibi ipse, vitæ-que suæ caveat, a suspicioso marito neci devotæ. Waleri-cum acerbè pupugit, cum intelligeret, tanti se sceleris infimulari cum Thecla, quod neuter unquam attentâset, imò nec cogitâset quidem, ac vitâ quoque periclitari innocentem. Quare, ut erat ardentis genij, & ad arma parati, statuit injuriam hanc vindicare, & imminens sibi periculum ipse prævenire, idque re ipsa præstitit, occiso Bassiano, suæque deinceps salutis fugâ consuluit, exul è patria; donec post aliquod tempus, rebus compositis, & impetratâ veniâ eadem denuo reversus, Theclæ Parentem usque ad eò novit sibi demereri, ut filiam anteliac denegatam, ultrò in conjugem obtulerit Walerico.

Q. An istud homicidium fuerit impedimentum, dirimens hoc Matrimonium?

## SYNOPSIS.


1. Quid, & quotuplex sit impedimentum criminis?
2. Est introductum solo Jure Ecclesiastico, nec dirimit quodcunque Matrimonium, sed solum inter personas criminosas.

Kkkk

3. In



3. *In crimine occisionis perinde est, sive machinatio mortis fiat in uxorem, sive in Maritum.*
4. *Debet verò hæc machinatio esse efficax, ut ex ea mors consequatur, nec sufficit sola ratihabitio cadis.*
5. *Præterea debet fieri ex intentione contrahendi Matrimonium cum complice homicidij, & in occisionem uterque conspirare, nisi simul etiam adulterium committatur.*
6. *Deducuntur ex dictis aliqua corollaria.*
7. *Quid sentiendum sit de præsentè casu solius homicidij?*
8. *In impedimento criminis, quod oritur ex homicidio cum adulterio, utrumque necessariò conjunctum esse debet, & fieri occisio ex fine Matrimonij: sufficit tamen, quòd una pars eadem machinetur.*
9. *Enumerantur aliqua conditiones, quæ si non adsint, impedimentum istud non contrahitur.*
10. *Controversia est, an, quando uterque adulter est conjugatus, utriusque constare debeat de Matrimonio alterius.*

I.  Omne criminis non intelligitur quodcunque crimen, etiam valde enorme, & atrocissimum, quasi propterea non licitum sit inire Matrimonium, inquit non teneat, seu reddatur invalidum, sed intelligitur so-

lummodo illud crimen, ex quo timeri possit conjugis occisio. Duplex verò hoc crimen est; homicidium, de quo in casu præsentè, & adulterium, de quo in casu sequente dicitur: sive potius, ut accuratior divisio habeatur, & majore cum claritate proce-  
damus, triplex crimen est, quod Matrimonium non solum impedit, sed



sed etiam contractum dirimit. 1. Homicidium conjugis solum, patratum animo ducendi aliam personam, cum qua in mortem alterius conspiravit. 2. Homicidium conjugis coniunctum cum adulterio. 3. Solum adulterium, cum promissione Matrimonij in futurum post mortem conjugis, vel etiam, & multò magis cum actuali contractu Matrimonij de presenti, utriusque invalido. In his ergo casibus ob sceleratam istam conjunctionem, qua conjux, vivente adhuc sua comparte, conspirat cum alio, vel alia de conjugis occisione, vel Matrimonio ineundo, statutum est ab Ecclesia impedimentum dirimens inter illas personas conspirantes, ut hoc modo absterreantur à similibus criminibus, cædibus, & adulterijs, dum prævidere possunt, sibi, si ita delinquant, præcisam esse spem, inter se se, quod desiderarent, contrahendi, factumque hoc merito est, & rationabilissimè ab Ecclesia, cum sciamus, Gentiles quoque longè severiora contra hæc crimina statuisse. Certè Diodorus Siculus l. 19. refert, in quadam Indiarum regione cum aliquando contigisset, virum uxoris dolo interijisse, ut deinceps cessaret omnis criminis suspicio, constitutum fuisse, ut unà cum viris uxores quoque in funere cremarentur.

2. Dixi, statutum esse istud impedimentum ab Ecclesia, nec enim ex natura rei repugnat tale Matrimonium, sed solo Iure Ecclesiastico

inductum est, unde invalidum non fuit Matrimonium Davidis cum Bersabæa adultera post Uriæ mortem, ab eodem Davide interfesti, nec est invalidum inter infideles, qui post commissa prædicta crimina contrahunt, cum ij Ecclesiasticis legibus subjecti non sint, esto, inter se primò contrahant, postquam ad fidem conversi sunt, quia, dum crimen patratum est, Ecclesiæ legibus non subiacebant, proinde non potuerunt contrahere impedimentum, quod tuac incurritur, quando ponitur actio, cui impedimentum annexum est: hæc autem actio non fuit posita in Ecclesia, & ab illius subditio. Sanch. l. 7. disp. 79. n. 42. Palao disp. 4. de sponsal. pu. 12. n. 7. Aliud foret, si pars alterutra esset Christiana, seu baptizata, quia quantumvis infidelis Ecclesiæ subjectus non sit, ejusque delicta ab ea non puniantur, subjacet tamen Ecclesiæ pars altera, quæ fidelis est, quam punit Ecclesia, quod huic delicto cooperata fuerit, ad Matrimonium eandem inhabilitando. Sanch. l. c. n. 43. Bonac. q. 3. de imped. Matr. pu. 6. n. 20. Palao & c. idque clarè constat ex c. 1. De Convers. infidel. cum enim quidam Saraceni, qui erant in captivitate Christianorum, interfecissent viros quarundam mulierum Christianarum, insidijs, & machinationibus ipsarum, ac postmodum per illas ipsas mulieres ad Christianam fidem conversi essent, quæsitum fuit, utrum de jure pos-

K k k k 2

sent



sent illas accipere in uxores, & si eas duxissent, an tale conjugium validum esset? respondit Cœlestinus Papa III. negativè, id est, si dictæ mulieres in mortem suorum maritorum malitiôsè fuerint cooperatæ, licet illarum studio ad fidem Saraceni accesserint, contrahere tamen cum ipsis non debere, & si contraxerint, hoc tolerandum non esse, quia tale damnum cum tali lucro Ecclesia compensare non vult. Notandum insuper, impedimentum criminis, de quo hic sermo est, dirimere non quaecunque Matrimonium, sed solum in tes ipsosmet criminosos, qui crimen homicidij, vel adulterij commiserunt, eo modo, ut dictum est *num. preced.* hinc, qui v. g. occidit conjugem, ut cum adultera Matrimonium contrahat, respectu solius adulteræ fit inhabilis, non verò ad contrahendum aliud Matrimonium cum alia; Imò hodie nec quidem impedit, quamvis occiso propriæ conjugis, aliæque non nulla crimina fuerint olim impedimenta impediencia, seu prohibentia quodcunque conjugium, ut diximus suprâ de impedimentis impediencia.

3. His prænotatis, ut primò agamus de impedimento, quod oritur ex machinatione mortis sine adulterio, contrahitur illud tunc, quando duo conspirant in mortem uxoris, vel mariti, cum intentione, ut illâ præemptâ, vel occiso marito, inter se Matrimonium contrahant; sic v. g.

si Titius, qui est maritus Berthæ, conspiraret cum Claudia ad occidendam Bertham, secutâ ex hac conspiratione ejusdem Berthæ interfectione, adest impedimentum dirimens inter Titium, & Claudiam. Idem est, si Bertha conspiraret cum Cajo ad occidendum Titium, nam quoad hoc nullam differentiam SS. Canones faciunt inter uxorem, & maritum, quare audiendi non sunt Victoria in *Summa V. Matrimonium n. 292.* & alij quidam pauci apud Sanch. l. 7. disp. 78. n. 8. quorum sententiam probabilem censet etiam Henrig. l. 12. c. 14. n. 2. in *Comment. Litt. V.* hi, inquam, audiendi non sunt, qui eo quòd textus in c. 1. & c. Significasti. De eo, qui duxit in Matrim. &c. de sola uxoris occisione loquantur, idcirco existimant, impedimentum hoc solum incurri, quando occisio fit uxoris, non autem, si uxor virum interficiat ad contrahendum cum adultero, nam etsi dicti textus mentionem faciant solius uxoricidij, & nihil disponant de casu, quo uxor mariti mortem procurat, utpote quod rariùs solet evenire, tamen c. Si quis vivente 31. q. 1. & c. 1. De Convers. infidel. id ipsum expressè statuunt etiam de machinatione ex parte uxoris in mortem mariti: perinde igitur est ad hoc impedimentum dirimens incurrendum, sive Maritus in necem uxoris, sive uxor in occisionem mariti conspiraverit, dummodo factum sit cum intentione contrahendi.



hendi Matrimonium cum complice hujus delicti, nam eadem utriusque conjugis ratio est, & conditio, & quod dispositum est de uno correlativo, censei debet etiam dispositum de altero: atque ita docent Glossa in c. fin. De eo, qui duxit in Matrim. Sanch. l. 6. Basil. Pontius l. 7. c. 45. n. 5. Palao l. c. n. 9. Coninck disp. 31. dub. 5. n. 55. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1. Bonac. l. c. n. 7. Dicastillo disp. 7. de Matr. dub. 56. n. 604 Perez disp. 33. de Matr. Sect. 1. n. 9. Pirhing De eo, qui duxit in Matrim. &c. n. 22. Engl. n. 5. eod.

4. Porrò ut hoc homicidium inducat impedimentum, aliquæ conditiones adesse debent, ac primò quidem necesse est, ut machinatio mortis sit efficax, & cædes re ipsa secuta sit, quia in materia pœnali, & odiosa verba legis strictè, & cum effectu accipienda sunt, pœnæque intelliguntur poni delicto completo, & consummato c. Relatum. De Clerico non resid. unde non sufficit sola voluntas, vel conatus, aut attentatio mortis; nec satis est, dedisse de ea consilium, vel mandatum, si mortem non causaverit, neque intoxicatio, mutilatio; vel vulneratio etiam gravis, si mors inde secuta non est, quamvis fortè secuta illa fuerit ex culpa, vel ignorantia, aut negligentia medicantis, vel ob excessum aliquem ipsius infirmi. Tam. bur. L. 8. de Matr. I. tr. 1. c. 6. §. I. n. 5.

Palao, & alij citati: perinde verò est, sive quis interficiat physicè per se ipsum, ferro, veneno, veneficio, sive occidat moraliter per alium, v. g. sicarium, aut mortem conjugis procuret consilio, jussione, suasionè, consensu prævio in occisionem, suo nomine patranda, vel in sui gratiam faciendam, quibus alij permoti re ipsa necem intulerint: non tamen sufficit sola ratihabitio illatæ necis, sive quòd ratam habeas factam occisionem, sic enim non est causa homicidij, nam ratihabitio supponit occisionem factam, & in eam, quæ jam præcessit, non influit. Nec obstat, quòd Reg. 10. De R. I. in 6. ratihabitio mandato comparetur, quia id intelligitur de his, quæ solùm à voluntate ratihabentis pendent, & quæ, jure sic disponente, pro mandato habentur, ut contingit in ratihabitione, qua violentana Clerici percussorem suo nomine factam quis ratam habet, etsi mandatum ad hoc nullum dederit, nam propter hoc solum censuram excommunicationis incurrit. c. Cùm quis. De Sent. Excommun. in 6. de quo vide Dicastillo l. c. n. 603. & in tract. de censuris disp. 3. dub. 58. c. 1. n. 991. & seqq. ubi id fusè exponit.

5. Secundò requiritur ad contrahendum hoc impedimentum, ut machinatio mortis alterius conjugis facta sit animo ineundi Matrimonium cum ea ipsa persona, quæ est complex



complex istius cædis. Sanch. *l. c. n. 13.* Laym. *n. 2.* Pirhing *n. 25.* Basilius Pontius, Perez &c. Ratio est, quia Leges statuentes hanc poenam intendunt impedire, ne quis cupiditate alieni Matrimonij occidat propriam uxorem, aut uxor proprium maritum, qui finis cessat in ijs, qui ob aliam aliquam causam conjugem occidunt, quàm ex intentione ineundi Matrimonium, licet id faciant ex communi conspiratione, v. g. ex odio, vindicta, vel ut liberiùs libidini vacent, aut ne in adulterio deprehensi à superveniente marito occidantur, vel accusentur. Et quidem in foro externo, dum quis occidit alterius conjugem, si postea Matrimonium contrahat cum conjugè superstite, semper præsumitur hoc homicidium commissum esse ex intentione futuri Matrimonij, nisi ista præsumptio efficacibus argumentis elidi possit, aut vehementissimæ conjecturæ contrarium suadeant. Sanch. *l. c. n. 19.* Pirhing *n. 25.* Rectè etiam advertunt Basil. Pontius *l. c. n. 4.* Perez *n. 7.* Sponner *Theol. Sacram. p. 4. c. 1. Sect. 1. n. 102.* Tamb. *l. c. n. 3.* intentionem contrahendi cum complice homicidij debere necessariò alteri parti exterius manifestari, alioquin non erit conspiratio ex intentione ineundi Matrimonij; sufficit nihilominus, ut ei indicetur sola intentio, seu voluntas, nec opus est, ut adsit quoque actualis promissio, sive ut

fides data sit de Matrimonio ineundo inter ipsos, ut colligitur *ex c. Super hoc. De eo, qui duxit in Matrim.*

Tertiò, ut contrahatur impedimentum præcisè ex crimine homicidij, oportet, ut hæc machinatio non fiat ab una tantum parte, sed debet pars utraqùe conspirare in eadem alterius conjugis ex prædicta intentione contrahendi Matrimonium; hancque intentionem de contrahendo Matrimonio requiri in utraqùe parte, expressè docet Rebelus *p. 2. de obligat. Iust. l. 3. q. 8. n. 20.* At sufficere, si saltem alteruter eorum intendat inire Matrimonium cum complice, dicunt Sanch. *n. 14. & 18.* Bonac. Dicastillo, quibus accedit Tannerus, tunc enim jam concurrat mortis machinatio cum affectu, & animò contrahendi, nulloque Jure decernitur, utriusque intentionem esse necessariam. Quòd si verò vir solus, vel sola femina sine conspiratione, consensu, vel præscitu alterius, eovè contradicente occidat conjugem, si aliud non accesserit, scilicet adulterium, nullum inde nascitur impedimentum, hoc enim casu necesse est, ut adulterium simul conjunctum sit, ut colligitur *ex c. 1. De Convers. infidel. & infra dicitur num. 8.* quod non requiritur, quando pars utraque conspiravit in homicidium. Sanch. *l. c. n. 9.* Laym. *l. c. n. 2.* Coninck *disp. 31. dub. 5. n. 52.* Bonac. *l. c. n. 5.* Pirhing. Engl.



6. Ex dictis colliges 1. si vir occidat uxorem, ut aliam quampiam incertam, ac indeterminatam ducat, non intercedere ullum impedimentum, sed posse ipsam cum quavis alia aliunde non impedita, postea validè contrahere, quia incerta non potuit esse particeps criminis, nisi fortè id fecisset, ut contraheret cum una ex quinque, vel sex, quæ omnes aliquo modo crimini occasionem dedissent, vel mortem conjugis machinando, vel cum eodem fuissent committæ per adulterium. Imò juxta Sanch. l. c. n. 17. potest ducere etiam illam, cum qua aliàs adulteratus est, uxore superstitè, dummodo ipsa in necem uxoris cum eo non conspiraverit, & ipse non occiderit animo cum hac contrahendi. Coninck l. c. n. 54.

Colliges 2. Impedimentum hoc non induci, etiamsi vir mortem uxoris machinetur animo ducendi aliquam determinatam, si mors ex ea machinatione non sequatur, quantumvis postea hæc ipsa femina, siue commiserit cum viro hoc adulterium, siue non, uxorem illam casu enecet, v. g. in rixa, vel jurgio, sed neque ex communi consilio, nec animo nubendi marito superstiti, nam prior machinatio in finem Matrimonij caruit effectu, & occisio uxoris facta à femina, vel adultera, caruit sine ineundi Matrimonium, sine quo impedimentum non subsi-

stit. Dicastillo l. c. n. 614. Sanch. l. c. n. 17.

Colliges 3. Si Paulus suafu Jacobæ occidat uxorem, ut ducat Catharinam sceleris insciam, validè cum utraque posse contrahere, si eum neutra priùs mœchatus est, quia Catharina est innocens, & occisio non est facta ad ineundum Matrimonium cum Jacoba. Coninck l. c.

7. Quid ergo dicendum de præsentè casu, ubi non intervenit adulterium, sed sola occisio mariti?

Resp. exijs, quæ hæcenus dicta sunt, sufficienter constare potest, inter Theclam, & Wallericum nullum fuisse impedimentum, ob quod post mortem Bassiani inter se Matrimonio jungi prohiberentur; nec enim intercessit inter eosdem ulla conspiratio de interfectione conjugis, sed Thecla solummodo conquesta est Wallerico, quàm durè, & acerbè haberetur à Zelotypo conjugè ob suspicionem illiciti cum ipso commercij, simulque eundem commonefecit de instante periculo, ut ab hoc sibi caveret, quin eum ad eandem, quæ subsecuta est, vel uno verbulo incitaret; neque hanc ipse intulit Bassiano ex intentione cum uxore superstitè Matrimonium contrahendi, sed unice, ut sibi illatam injuriam ulcisceretur, & imminens suo capiti periculum alterius morte præverteret; quamvis autem secutum postea Matrimonium in fo-



ro externo præsumptionem movere poterat, eadem patratam fuisse non alio fine, quam ut negatâ prius conjugè potiretur, efficaciter tamen istam suspicionem diluere potuit homicida tum testimonijs domesticorum, quibus perspectum erat, quàm procul abesset Wallericus à turpi facinore, cujus à viro Zelotypo arguebatur, tum ipsa illius vita, ut nota erat omnibus, ad omnem honestatem composita, & ab huiusmodi turpitudine magnopere abhorrens, impactam sibi calumniam sufficienter refutabat: eadem verò patratam esse non alio ex fine, quàm ut injuriam ulcisceretur, vitæque propriæ consuleret, abundanserant indicium & literæ à Thecla missæ, quæ cædis mentionem nullam faciebant, & quòd, perempto marito, uxorem superstitem nunquam deinceps in conjugem sibi concedi amplius petierit, sed ultrò à Patre oblatam lætus acceptaverit: nihil ergo eorum adfuit, quæ ad inducendum impedimentum requiruntur, ut à contrahendo conjugio prohiberi debuerint, vel post contractum separari. Atque hæc dicta sufficiant de primo modo, quo incurritur criminis impedimentum dirimens absque adulterio ex sola machinatione in mortem conjugis illorum, qui simul volunt Matrimonium inire.

8. Nunc ut de altero quoque crimine agamus, seu de secundo modo, quo impedimentum criminis contra-

hitur, quando nimirum occisio conjugis conjuncta est cum adulterio, incurritur illud, sive adulter occidat propriam uxorem, aut interficiat maritum adulteræ, ut cum ea Matrimonium ineat, sive ipsa adultera interimat maritum suum, aut uxorem adulteri, ut eidem adultero nubere possit. Ita omnes, & constat ex *c. Propositum c. Super hoc & c. Significasti nobis. De eo, qui duxit &c.* Ubi tria bene notanda sunt. 1. Quòd non sufficiat solum adulterium, nam hoc, nisi accedat maligna mortis machinatio, non obstat, quòd minus possit quis ducere eam ipsam, cum qua adulteratus est vivente uxore, sed neque sufficit sola conjugis interfectio, verum ita requiritur, ut simul adsit adulterium, quando est machinatio mortis ab uno tantum facta, ut licet intervenerit fidei datio de futuro Matrimonio ineundo, si desit adulterium, nullum futurum sit impedimentum, quia Ius absolute petit adulterium, neque est textus aliquis, qui sola fidei datione cum machinatione alterius contentus sit ad hoc impedimentum contrahendum. *Perez disp. 33. de Matr. Sect. 3. n. 2. & 4. 2.* Debet occisio conjugis fieri ex intentione perveniendi ad Matrimonium cum adultera, quare si occisio, vel machinatio mortis uxoris, vel mariti fieret ex alio motivo, v. g. liberius cum hac, vel alia peccandi, aut aliam quamcunque faminam ducendi, impedimentum hoc non



non induceretur inter adulteros; hæc tamen intentio in foro externo semper præsumitur, quoties occisor vult contrahere cum ea, cum qua commisit adulterium, ut supra diximus de conspiratione in eadem Mariti. Sporer *l. c. n. 105.* Sanch. *n. 17.* Perez &c. Notandum verò est, quamquam occisio fieri debeat ex intentione ducendi adulteram, non tamen opus esse, ut prava hæc intentio eidem manifestetur, cum qua intendit contrahere, ut rectè docent Tamb. & Sporer *n. 105.* contra Bafil. Pontium, quia in secundo crimine non requiritur conspiratio duorum, sicut in primo præcedente. 3. Necessè non est, ut uterque adulter ad occisionem concurrat, sed satis est, si unustantum, altero nesciente, in mortem conjugis machinetur, tum quia Jus Canonicum mentionem facit de adulterio, & homicidio in genere, tum quia uterque, cum sit reus adulterij, censetur etiam particeps esse homicidij, tum denique quia per hoc differt crimen adulterij conjunctum cum homicidio ab occisione conjugis absque adulterio, quòd in ista requiratur expressus consensus utriusque conjugis, in illo autem sufficiat consensus unus solius ex adulteris, ita clarè habetur in *in c. Significasti nobis. De eo, qui duxit in Matrim.* Sanch. *n. 9.* Bonac. *q. 3. de imped. Matrim. p. 6. n. 8.* Joan. Clericus Præpositus Pa-

tavinus in *Decisionibus de Matrim. Decis. 25. n. 9.*

9. Præter hæc aliæ quædam adhuc conditiones requiruntur, ut inducatur impedimentum dirimens, è quibus aliquæ coincidunt cum ijs, quæ requiruntur in primo crimine, quòd situm est in sola machinatione mortis adversus conjugem: talis conditio est utrique crimini communis, ut mors reipsa secuta fuerit ex ista machinatione, ut in superioribus dictum est. Aliæ sunt conditiones huic loco specialiter propriæ. Prima est, ut adulterium præcedat mortem actualem conjugis, sive deinde antecedit, sive subsequatur illius machinationem, vel mandatum: hinc si venenum propinasti uxori, vel marito, aut vulnerasti lethali-ter, aut mandasti sicario, ut occidat, & tum post illud mandatum, propinationem veneni, aut vulnerationem cum fæmina, cum qua contrahere vis Matrimonium, carnaliter peccasti, marito illius, vel uxore tua necdum defunctâ, confurgit impedimentum, non autem, si copula primùm est habita post mortem uxoris, vel mariti, quia hoc casu tunc adulterium amplius committi non potuit, Jura autem requirunt occisionem cum adulterio. Perez *n. 4.* Dicastillo *n. 621.* Sporer &c. Secundo necesse est, ut fuerit commissum verum adulterium, ad quòd requiritur, ut illud fuerit consum-



matum per copulam perfectam, quæ apta sit ad generationem, unde si tantum fuerit inchoata, sed non completa, impedimentum non inducit; multò minùs sufficiunt oscula, & tactus inhonesti, quantumvis turpissimi, vel etiam pollutiones invicem procuratæ, ad inducendam hanc inhabilitatem. Sanch. *disp.* 79. n. 2. Perez *sect.* 2. n. 7. Tambur. *Lib. 8. de Matrim. tr. 1. c. 6. §. 2. n. 6.* Tertio insuper debet, ut verum fuerit adulterium, quale requirunt Jura, Matrimonium cum marito, vel uxore percipit fuisse validum; si enim fuerit nullum, etsi bona fide existimaretur esse validum, non oritur inde impedimentum, nam Jura requirunt occisionem conjugis, & adulterium, quod, quia deficit, ubi non est Matrimonium verum, possunt interfectores validè inter se contrahere. Perez n. 4. Sanch. *disp.* 78. n. 20. Clericatus *l. c. n. 10.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 12. n. 8.* sufficit tamen, si fuerit ratum; imò sufficit, etiamsi conjuges fuissent separati quoad torum, & cohabitationem. *Argument. c. Ex Litterarum. De eo, qui duxit in Matrim.*

10. Quarta conditio, cum inter AA. controversa sit, meretur, ut speciali numero exponatur. Consistit ea in hoc, quod debeat committi formale adulterium, adeoque status conjugij utriusque adultero esse notus, quare si vir conjugatus cum

fæmina ignara conjugij copulam carnalem exerceat, & animo in-eundi cum ea Matrimonium suam uxorem interficiat, non erit à conjugio impeditus, quia ex parte fæminæ non fuit patratum adulterium formaliter; & in hac quidem re extra dubium est, non contrahi impedimentum, quando una pars ex adulteris soluta est, & nescit, complicem esse ligatum Matrimonio, v. g. si vir, qui ignoratur esse conjugatus, committat adulterium cum puella inrupta, animo ducendi ipsam, interfectâ uxore, nam verum adulterium hæc non commisit, proinde non adest inhabilitas ad contrahendum ex occisione conjuncta cum adulterio, uti colligitur ex *c. 1. De eo, qui duxit &c.* atque ideo docet Gobat *tr. 9. cas. 10. n. 193.* adulterum, qui cœlibem se fingens corrumpit aliquam virginem cum promissione Matrimonij (idem dic, cum intentione ducendi ipsam interfecta uxore) teneri hanc volentem ducere post mortem suæ conjugis.

Controversia verò esse potest, an, quando pars utraque est conjugata, utrique constare debeat de alterius Matrimonio? Negant Hurtadus *disp. 23. de Matr. difficult. 2. n. 6.* & Bail. Pontius *L. 7. c. 45. n. 5.* putantes, sufficere, quando uterque adulter est conjugatus, ut quivis noscat proprium conjugium, quamvis ignoret alterius; quia sic verè peccat uterque peccato adulterij, cui si accedat occi-

cifia



ciso conjugis utique nihil deest ad contrahendum impedimentum criminis.

Alterius opinionis sunt Sanch. L. 7. disp. 78. n. 12. & disp. 79. n. 31. Laym. l. c. c. 10. n. 2. Coninck disp. 31. dub. 5. n. 53. Navarr. in *Manuali* c. 22. n. 46. qui absolute requirunt, ut quando utraque pars est conjugata, utrique constet non solum de suo proprio, sed etiam de alterius Matrimonio, hocque, docent, omnino esse necessarium ad contrahendum impedimentum; quibus accedit Perez disp. 33. de Matr. Sect. 2. n. 6. clarissime istud in exemplo proponens, dum ait, quando unus solus machinatus est mortem conjugis, requiritur, ut adulterium sit utrique Matrimonium contracturo notum; quare si v. g. Catharina conjugata adulteretur cum Petro, ignorans, hunc esse conjugatum, & hic deinde, mortuo marito Catharinæ, occidat, eâ insciâ, suam propriam uxorem, valebit Matrimonium. Ratio est, quia, ut adulterium præstet impedimentum, debet ex utraque parte tendere in injuriam conjugis occisæ, & hujus esse occasio, nam hoc impedimentum inductum est ad ejusmodi occasiones tollendas; adulterium autem Catharinæ, tametsi ex ejus parte injuriosum sit proprio marito, non tamen uxori Petri, nec

ipsa ex parte sua dedit sciens aliquam occasionem, ut Petrus occideret suam uxorem, cum nesciret, eum uxorem habere; ergo non intercedit impedimentum, quod Matrimonium reddat invalidum. Fateor nihilominus cum Coninck, ejusmodi Matrimonium omni modo dissuadendum esse, ne fiat; servire tamen poterit hæc Sententia, ne factum dissolvatur, ob ejus probabilitatem, quæ sanè magna est, si rationem, ex qua probatur, quis bene velit perpendere, unde Palæ l. c. n. 8. eam, credit, esse omnino veram, & Dicastillo disp. 7. de Matr. dub. 57. quamvis oppositam dicat esse probabilem, hanc tamen judicat probabiliorē, cum restringendæ sint ejusmodi poenæ.

Ex hac ipsa ratione denique deducitur, & probatur quinta conditio, ut adulterium non sit formaliter tale ex sola conscientia erronea, id enim ad contrahendum impedimentum non sufficit; quare si Titius, & Bertha putent Cajam vivere, quæ absens est uxor Titij, cum tamen mortua sit, non oritur impedimentum ex eorundem adulterio, quia Jura in re odiosa sunt strictè interpretanda: ergo non nisi de vero adulterio, quod omni ex parte verè, & realiter adulterium sit, intelligenda sunt. Tambur.